



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum occisio vxoris impediat matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Vtrum occisio vxoris impediatur matrimonium.

Secundò queritur vtrum occisio vxoris impediatur matrimonium. Et videtur quod non: quia magis peccat qui occidit matrem quàm qui occidit vxorem, sed primum non impeditur à matrimonio, ergo nec secundus.

2. Item occisio vxoris non impedit matrimonium, nisi ratione criminis, sed occidere vxorem in adulterio deprehensam non est crimen, vt probabitur, ergo tale vxoricidium non debet impedire matrimonium. Probatio minoris: quia qui occidit vxorem actu in adulterio deprehensam nihil iniustum facit, nec contra personam quæ mortem meruit, nec contra iustitiam publicam, quia cuius hoc permittit, ergo &c.

3. IN contrarium est quod dicitur. 33. quest. 2. cap. interfectores suarum coniugum. vbi dicitur, quod tales habendi sunt tanquam homicidæ, ac per hoc ad penitentiam redigendi quibus coniugium totaliter denegatur.

4. **R**ESPONSIO. Dicenda sunt duo. Primum est an liceat viro vxorem deprehensam in adulterio occidere. Secundum est vtrum talis occisio impediatur eum à matrimonio contrahendo.

5. Quantum ad primum sciendum est quod virum interficere vxorem contingit dupliciter. Vno modo per iudicium civile, accusando eam criminaliter de adulterio, & per testes legitimos conuincendo, & petendo penam mortis à lege vel consuetudine statutam, & hoc licitum est si fiat zelo iustitiæ, non vindictæ; sicut licitum est aliquod de furto vel homicidio criminaliter accusare, sed talis accusatio non potest fieri in iudicio ecclesiastico, quia ecclesia non habet gradum materiale, vt infra dicitur, & in præ allegato cap. Alio modo contingit occidere per seipsum, non in iudicio, cõiunctam, & sic eam occidere extra actum adulterii quantumcumque sciat eam adulteram non licet, neque secundum leges civiles, neque secundum legem conscientiæ: sed quando actu deprehenditur in adulterio, permittit lex civilis viro eam interficere, non tanquam aliquid licitum, sed quia non infligit penam quæ homicidis debetur, propter maximum incitamentum quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris. Sed secundum iudicium ecclesiæ & conscientiam non est immunis à reatu penæ æternæ. Cuius ratio est: quia nulli licet quenquam interficere, nisi ei qui fungitur autoritate publica, sed vir respectu vxoris non fungitur autoritate publica, ergo viro non licet vxorem interficere. Maior patet: quia cum qualibet persona singularis sit pars cõmunitatis, sicut membrum est pars corporis, quemadmodum incumbit præcidinge membrum quod est putridum & infectum corpori soli illi cui commissæ est cura corporis (s. medico) sic occidere personam quantumcumque singularem quæ est membrum cõmunitatis quantumcumque sit nociua cõmunitati, non licet nisi illi cui commissæ est cura cõmunitatis, hic autem est princeps vel ille qui fungitur autoritate publica, quare &c.

Minor similiter declaratur, quia cum sit duplex congregatio: quedam œconomica sicut in familia, & quedam politica sicut in ciuitate vel regno, ille qui præest primæ congregationi non dicitur præesse cõmunitati, nec fungitur autoritate publica, & ideo ad eum non pertinet infligere penam exterminantem, sed solum penam corrigentem, & sic se habet vir in domo respectu vxoris & familie. Ille autem qui præest secundæ congregationi, potest infligere penam exterminantem, & sic patet primum.

6. Quantum ad secundum sciendum est quod vir potest occidere vxorem triplici de causa. Vno modo persequendo culpam propter adulterium. Secundo modo persequendo naturam, s. propter odium. Tertio modo persequendo matrimonium, s. quado vir interficit vxorem vt contrahat cum adultera cum qua commisit adulterium. In primis duobus casibus vxoricidium impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, similiter in tertio casu respectu aliarum personarum ab adultera, & si timeretur probabiliter de incontinentia, potest dispensari vt contrahat, respectu verò adulteræ impedit & dirimit: sunt & aliqua crimina quæ impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum, sicut incestus, vt. 32. q. 7. si quis viduam. si quis cum nouerca. & raptus sponsæ alienæ, vt. 27. q. 2. raptor, & ca. statutum. Item

sulceptio proprii filii de sacro fonte ad insidiandum matrimonio: vt. 30. q. 1. Deo. Item qui presbyterum occidit: vt extra de pæ. & remiss. qui presbyterum. Item solennis penitentia: vt. 33. q. 2. de his. & ca. antiqui quod est intelligendum quantum solennis penitentia durat.

7. AD primum a. g. dicendum quod vxoricidium non impedit matrimonium solum ratione criminis, sed quia est contra factus matrimonii: & quæuis occidere matrem sit grauius peccatum quàm occidere vxorem, tamen occisio vxoris est magis contra factus matrimonii quàm occisio matris, & ideo magis impedit matrimonium.

8. Ad secundum dicendum quod occisio vxoris actu deprehensa in adulterio si fiat extra iudicium semper est peccatum & iniustum, quia præiudicat personæ & reipublicæ: persona quæ non debet mori nisi confessæ & conuictæ in loco iudicii, præiudicat etiam publicæ iustitiæ, quia non per publicum iudicium occiditur, & quæuis lex civilis hoc permittat, non tamen vt licitum, sed non infligit penam propter maximum incitamentum quod habet in tali opere.

Sententia huius distinctionis. XXXVIII.
in generali & speciali.

Nunc de voto inspicimus. Superius determinauit Magister de impedimento ordinis: hic verò determinat de impedimento voti. Et diuiditur in duas. Primò ostendit quo modo homo impeditur à matrimonio per votum quo se deo obligat. Secundò quomodo impeditur à matrimonio per aliud matrimonium iam contractum quo se alteri obligauit. Secunda ibi, cum vir & mulier legitime. Prima diuiditur in tres. Primò ostendit quid sit votum. Secundò quale votum impedit matrimonium. Tertio agit de penitentia cõtrahentium post votum. Secunda ibi, sciendum verò est quod votorum. Tertia ibi, de virginibus autem non velaris. Secunda pars principalis in qua determinat de impedimento alterius coniugii diuiditur in tres. Primò ostendit quod præcedens matrimonium dum fiat impedit matrimonium sequens. Secundò ostendit si per ignorantiam vtriusque cõtrahitur, quid sit faciendum. Tertio ostendit quod si per fraudem alterius cõtrahitur, quid sit faciendum. Secunda ibi, hic queritur de illis feminis. Tertia ibi, sed si quis relicta in patria.

2. IN speciali sic procedit, & proponit primò quid est votum dicens, votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ quæ Deo fit: vnde de his quæ Dei sunt proprie fieri debet, sunt enim aliqua vota stultorum quæ trahenda sunt. Postea distinguit de voto, & ostendit quod votum matrimonium impedit, & dicit quod votorum aliud est cõmune, vt illud quod in baptismo fit, omnes enim spondent se renuciare diabolo & pompis eius; aliud singulari, vt cum quis promittit sponte seruare virginitatem, vel continentiam, vel aliquid huiusmodi. Item votorum singularium aliud est priuatum, vt illud quod est factum in abscondito; aliud est solenne quod est factum in cõspectu ecclesiæ. Priuatum autem votum si violetur peccatum mortale est. Si autem solenne violetur peccatum mortale est & scandalum. Post hoc dicit quod qui priuatum votum continentiam faciunt, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant. Si tamē contrahunt non separantur, quia probari non potest quod occulte actum est, qui autem solenniter vouent nullatenus in coniugio manere queunt: continentiam ergo vouentes, siue sint virgines, siue sint viduæ, siue velatæ, siue non cõiugium nullatenus fortiri possunt, quia quod erat ante licitum post votum fit illicitum, quod autoritatibus pluribus probat. Postea dicit quod illæ quæ continentiam solenniter vouerunt, & non implent, aliquo tempore à libere ecclesiæ debent arceri, & à certis fidelibus, donec humiliter satisfaciunt & ad bonum quod inceperant siue inuitæ siue voluntariæ redeant, quod pluribus autoritatibus probat: obicit tamen per autoritatem Innocentii qui dicit illas quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea cum homine publicè nupserint non solum ad cõiugium, sed nec ad penitentiam recipiendas esse, donec illi quibus se coniunxerint de mudo recedant. Et respondet Magister quod intelligenda est autoritas Innocentii de illis quæ